





*Sot*  
4  
1777  
26

FACVLTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI  
SENIOR ET H. T. DECANVS  
GEORGIVS AVGVSTVS  
LANGGVTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O  
PANEGRYRIN MEDICAM

A. D. XXV. IULII CICIOCCCLXXVII

H. L. Q. C

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

DE

ORTV PISCIVM ABSQVE NVPTIIS  
PVLCHRE FABVLARI  
COMMENTATIONE PRIORE

 ifi conspicuae cuiusdam vilitatis, non iniucundae tamen reperitonis, gratia, paucula quaedam de hoc vltimae antiquitatis monumento, tanquam in quam promulsidem, aut mensam potius breuem ac secundam, apponere, satietati lectorum medicaturis, licebit. Evidem semi-nibus plantarum vietique vegetabili, inter alia, vitam propagamus; quid verer vero, quo minus cum eo, quod profit, subinde etiam, quod delectet, quod iucundam vitam faciat, coniungamus. Ipsa quoque seueritas, recte sapiente PLINIO, condienda est.

Prima illius, absonae et a natura abhorrentis, opinionis, quam generationem aequiuocam scholarum consuetudo vocat, vestigia querentes, viam praeunte DIODORO SICULO<sup>a)</sup>, ad Aegyptios deducimur. Praedicabant se ifi quondam populi Αὐτοχθόνες, ex tellure ortos, credebantque adeo, in Aegypto primum prodiisse genus humanum. Illa igitur veruissima opinio, quod terra sub initium fuerit πηλώδης καὶ παυτελῶς ἀπαλᾶ, lutoſa, ſilicet, omninoque tenera ac mollis, ab igne vero ſolari concreuerit, eiusdemque superficie, a calore in fermentationem, Ζύμων, acta, apparaerit omne genus animalium; de nullis adeo gentibus vero similius, quam de Aegyptiis, poterit intelligi. Aegyptiorum enim Nilus, quod RÜDIGERVs, in sua emendatae Physices historia<sup>b)</sup> opportune suggerit, quum post iundationem ex luto, ſeu bolo relicta, et ſolis calore veluti impregnata, tam miraculoſo ſpectaculo producere credebat mures, vt aliqui eorum, quoad pectus et anteriora formati, et motum ſortiti, quoad reliquum corpus informes, et lutei adhuc, conſpecti fuerint; facile eorum Philosophi eo deuenire potuerunt, vt ſtatuerent, ex terra et coelo, quippe a cuius

a) Bibl. Histor. I. 13. b) Phys. Diu. p. 4. conf. BEVCKERVs, Hist. Philos. Tom. I. p. 302. ſqq.

ius sole illa impregnatio boli facta fuerat, gigni animalia; et,  
cum haec reliquis corporibus sint nobiliora, etiam vegetabilia  
et mineralia inde connasci. Quae quidem OVIDIUS,<sup>bb)</sup> pro in-  
genii sui acumine, vberitate et elegantia, viuis tanquam coloribus  
picta, oculis nostris sic subiicit:

*Caetera diuersis tellus animalia formis*

*Sponte sua peperit.* — — —

*Sic, ubi deseruit madidos septem fluisse agros*

*Nilus, et antiquo sua flumina reddidit alueo,*

*Aethereoque recens exarst fidere limus;*

*Plurima cultores, versis animalia glebis*

*Inueniunt, et in his quaedam, modo copta sub ipsum*

*Nascendi spatium; quaedam imperfecta, suisque*

*Trunca vident numeris (membris): et eodem in corpore saepe*

*Alteria pars vivit; rudis est pars altera tellus. cet.*

Respicit hos populos ARISTOTELES<sup>c)</sup>, de generatione differens  
animalium, tanquam de causa eorum genuina atque vniuoca  
exponeret: Generationis principia, ut retulimus, illa quis po-  
tissimum statuerit, marem et feminam; marem namque id ani-  
mal dicimus, quod in alio gignit; feminam, quod in se ipso:  
quam ob rem in vniuerso quoque naturam terrae, quasi femi-  
nam matremque, statuant; coelum autem et solem, et reliqua  
generis eiusdem, nomine genitoris patrisque appellant. Quo-  
cum ad verba prorsus consentiunt, quae, cum nonnullis aliis,  
huc commode referendis, de causa hac aequiuoca, in primis-  
que de origine generis humani, LVCRETIVS<sup>d)</sup> cecinit:

*Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta*

*Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit*

*Humanum, atque Animal prope certo tempore sudit*

*Omne, quod in magnis bacchatur montibus paſim,*

*Aeriasque simul Volucris variantibus formis.*

a 2

Acce-

bb) Metam. I. 416.

c) lib. I. c. 2.

d) de Rev. Nat. lib. V. v. 819.



Accedit his, et quoddam quasi pondus addit, ipsum deinceps THALETEM, cui Sacerdotes Aegyptii omnis fontes sapientiae aperuisse dicuntur, qui que scholam postea condidit Ioni-  
cam, et de rebus naturalibus, secundum CICERONEM<sup>e</sup>) primus  
quaesivit, sua in οντογονίᾳ a praceptoribus suis parum rece-  
fisse, dum, cum Phoenicibus, Orpheo, Brachmanibus,<sup>f</sup>) ex  
fluido potius, quam ex solido, progressum naturae asseruit,  
quodque mox laudati CICERONIS, ex HERODOTO probabili-  
ter, est, aquam dixit esse omnium rerum initium; ex quo sci-  
licet, tanquam materia, existant, et in quo postremo resol-  
uantur.<sup>g</sup>)

Quod naturalis Philosophiae principium, ab ipso HOMERO  
atque HESIODO, secundum IVSTINVM MARTYREM atque  
PLVTARCHVM, mutuatum, tantoque consensu exceptum, ut  
vix a quoquam negatum fuisse constet, ex parte quidem admis-  
fit, et latius propagauit ANAXIMANDER, popularis, discipu-  
lus, sodalis etiam, Thaletis, animalia, perhibens, prima in  
humore, ἐν υγεῇ, nata, corticibus spinosis munita fuisse, ad-  
ultiora vero facta ad siccitatem magis desciuisse, ruptoque cor-  
tice non multum temporis superuixisse. Quae quidem, ni-  
mum ornata, eius opinio, etiā iam plus satis horrida atque  
spinosa est: multo tamen tolerabilior adparet, quam monstrosus  
ille, ex aquoso eius cerebro effusus, abortus, qui vtique suum mox  
in principium resolui debuisset; siquidem PLVTARCHO, quod  
nemo umquam fecit, fides neganda non sit. Arrige aures,  
Lector, ut quoque cognoscas, quae fit natalis origo nostra: Homi-  
nes, docuit ille, prius in pīcium ventribus genitos, ibique nu-  
tritos, fuisse; donec vires acquirerent maiores, idoneique fie-  
rent, qui suis prospicere necessitatibus possent, exclusos fuisse  
atque terra potitos. Quo ruitis!

Equi-

<sup>e</sup>) de Diuinat. I. 10.    <sup>f</sup>) RÜDIGERV, loc. cit.    <sup>g</sup>) conf. BRVCKERVS,  
loc. cit. p. 465 sqq.

Equidem sunt, qui PYTHAGORAM apud ANAXIMANDRVM naturalia commentatum referant; ex ista tamen causa, commentaque, PYTHAGORAE persona indignissimo, nemo praeceptum eius, quo discipulis maxime esu piscium interdixit, facile deduxerit. Veram causam ipse non aperuit; longe tamen vero similius vniuersalis illa est, quam rationi τῆς μετεμψύχοσεως consentaneam, ipsi IAMBlichus tribuit: Animam, scilicet humanam, in ea saltem animalia non ingredi, quae mortare fas sit; ideoque ex immolabilibus ea sola comedenda, quae pro victimis caedere liceat; a ceteris omnibus abstinentium; quam causam tamen SENECA nimium ornasse, latiusque extendisse, viderur, PYTHAGORAE, aiens, ex praecepto etiam a venatione discipulos suisse prohibitos: omnium enim inter omnia cognitionem esse, et aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium: nullam animam interire, nec cessare quidem, nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfundatur: interim scleris hominibus ac parricidii metum fecisse, quum possint in parentis animam insciu incurrere, et ferro morsuque violare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitatetur. Quasi vero non pro maiori tum habendum esset beneficio, spiritum quem cognitionum ex compeditibus carcerisque squalore in pristinam libertatem ac dignitatem recuperare, quam ulterius compeditum detinere, donec forsan ab aliis animalibus, ferisque ac belluis, dentibus morsuque violetur, ac omnipibus dilaniatus membris, vindicetur.

Vnum adhuc ex schola Ionica ARCHELAVM, ANAXAGORAE discipulum ac successorem, iisdem rerum naturalium principiis innutritum, nec in hoc quoque dogmate a scholae suae placitis recedentem, in scenam produxisse iuuabit. Gigni, ille docuit, animalia ex terrae calore, quae limum, lacti simillimum, velut escam, eliquerit; sic et homines natos. Breuiter haec

a 3

LAER-

b) Epist. 108. conf. Brucker. I. c. p. 1036.



LAERTIVS; plenius exponit PSEVDO ORIGENES: calefacta pri-  
mum terra; in particulari sede, vbi calidum et frigidum com-  
miscebantur, copiosa inter se dissimilium, sed omnium eodem  
vrentium victu, coenoque nutritorum, animalia, simul apparuisse  
turbam aliorum quoque animalium: eam breuis temporis fuisse  
turbam: mox ex se inuicem ipsis quoque progeniem excitatam  
esse; discretos a ceteris homines.<sup>j)</sup> Habes hic, quod in primis  
norandum, contraria, iuxta se posita; caussam primam, aequiuoca-  
cam, effectum sibi dissimilem, et caussam deinceps vniuocam, ef-  
fectum sibi similem, producentem, aequiuoca posteriorem, exque  
ea adeo oriundam.

Ecce vero, quam pulchram in fabulam haec LVCRETIVS<sup>k)</sup>  
conuerterit, inter alia eiusdem generis sic canens:

*Principio genus Alituum, variaeque Volucres,  
Oua relinquebant, exclusae tempore verno:  
Folliculos ut nunc teretes aestate Cicadae  
Linquunt, sponte sua vietum vitamque petentes.  
Tum tibi terra dedit primum mortalia faecla:  
Multus enim Calor, atque Humor, superabat in aruis.  
Hinc vbi quaeque loci-regio opportuna dabatur,  
Crescebant eteri terrae, radicibus apti;  
Quos vbi tempore maturo patefecerat aetas,  
Infantem fugiens humorem, aurasque petifens,  
Conuertebat ibi Natura foramina terrae,  
Et succum venis cogebat fundere apertis,  
Consimilem tactis: sicut nunc Femina quaeque,  
Quum peperit, dulci repletur latte, quod omnis  
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.  
Terra cibum pueris, vestem Vapor, Herba cubile,  
Praebebat multa et molli lanugine abundans.*

Supereft,

<sup>j)</sup> vide sis mox laudatum BRUCKERVM, l.c. p. 520. <sup>k)</sup> de Rer. nat. V. 799.

Supereft, vt ostendamus, ARISTOTELEM quoque, summum illum Philosophum, licet a Praeceptore et omnibus, qui ante eum floruerunt, Philosophis sedendum sibi putauerit, hac tamen in cauſa, vt ſupra iam animaduertim, ab iisdem non recessiffe, cauſasque adeo veras et genuinas, quas vniuocas dicimus, nouif-ſe ac conſtituiffe, aequiuocas autem tanquam in ſubſidium, admifſe, eademque per obſeruationes conſirmare ſatigiff. Vniuo-cam cauſam, vt in reliquis animalibus, ſic in pifeibus praefertim et aquatilibus, agnoscit, et non modo omne genus pifeium ouiparum eſſe, tanquam certiſſimum, conſtituit, ſed addit etiam, fi- nem tamen, ſue perfectionem, nullum recipere ouum eorum pi-ſeium, qui ſexu maris et feminae diſtinguantur, et per coitum generent, niſi mas ſuum ſemen aspergat, et ſic porro; totum enim capitulo, quo haec exponit, ad hunc locum pertinet. Eodem enim modo vtriusque ſexus partes genitales, vteros, meatus, oua, lactes, coitus diuersos, opportunum generationis tempus, atque id genus alia, per experimenta et obſeruationes conſirmata, adducit. Ex altera tamen parte, cauſas aequiuocas, quas ve- tuſtissimi quique populi, ſectaque Ionicae primores, commenti ſunt, ſuo ex animo dimittere, non modo non potuit, quin po- tius hoc, plus quam poeticum, figmentum ac commentum nouis ſe exemplis, ex limo et putredine natorum, corroboraffe ſibi vi- fūs eſt. Generantur autem, inquit, <sup>i)</sup> et in humido, cum anima- lia, tum plantae, quoniā in terra eſt humidum, in aqua ſpiritus, et in vniuerso calor aliquis animae; vt adeo omnia animae quo- dam modo ſint plena: ὡς τέρπον των πάντα ψυχῆς ἐναγ πληγή. Ad- dit alio loco <sup>m)</sup> putredinem, tanquam cauſam ſociam, quodque conſequitur, aequiuocam: Generationi corporum, perfecte mix- torum, opponitur putrefactio, cui obnoxia ſunt omnia, excepto igne; ex putridis animantia producuntur, calore naturali adiu- uante.

<sup>i)</sup> de Gener. An. III. II. <sup>m)</sup> Hift. An. VI. 15.



uante. Tandem et utramque caussam coniungit, et Apuarum exemplo confirmat: Pisces maxima quidem ex parte ouo dignuntur: sed sunt quoque, qui et limo et arena proueniunt, etiam ex iis generibus, quae per coitum, et oui primordia, generentur. Verum genus quoddam eorum est, quod non coitu, sed ex limo arenae, enascatur. Quae autem nec ouum nec animal pariant, iis ortus, vel ex limo, vel ex arena, et, per summa facta, putredine, agitur; qualis etiam *Apuae* origo, spuma nuncupata, ex terra arenosa consistit. Quod quidem *Apuae* genus nec incrementum capit, nec prolem afferit, et temporis longioris spatio perit, sed denuo nascitur. Oritur pisciculus hic in spuma, εν τῷ αφεῷ, vnde nomen spumae, αφεῷ, accepit.

Quae secum pugnantia quo modo sic conciliari possint, ut tantum virum non dedeant, id quidem nostrarum nunc non est partium; dici tamen vix satis potest, quantum fidem summi Philosophi auctoritas sibi inuenierit, perque tot secula integrum, tantum non ubique, conseruauerit. Breuitatis studiosi non nullos tantum, ex innumeris doctrinae Aristotelicae alumnis veluti, ac sectatoribus, in medium producere possumus. Confidenter, ut solet, scribit PLINIVS<sup>n)</sup>, Apuam nostri, Aphyen Graeci, vocant, quoniam is pisciculus e pluvia nascitur. AEI IANVS<sup>o)</sup> ipsius ore Aristotelis miram hanc Apuarum historiam repetit: Apuac pisces ex se nec procreant, nec procreantur, sed e limo enascuntur. cert. ATHENAEVS denique, nec Purpuras quidem, afferit, ex Melicera, quam faciant, procreari, sed, quem ad modum reliqua testacea, e limo ac putredine. Alio is loco<sup>p)</sup> NICOLAVM DAMASCENVM, Peripateticum, loquentem refert: multis quoque in locis piscibus Deum pluisse, non ignoror; et PHANIAM, etiam Peripateticum, de iis, qui apud Eressios περτανεῖς fuerint, tradentem, in Chersoneso piscium imbreem

<sup>n)</sup> H. N. XXXI. 8.    <sup>o)</sup> *Deipnosophistae*. II. 22.    <sup>p)</sup> *Idem*, VIII. 2.

imbrem toto triduo cecidisse. De reliquis, recentioribus etiam, assentatoribus, nunc tacendum est. Plura propediem.

Nae ortus iste piscium absque nuptiis, per se, iam pulchre fabularis est! Est vtique. Sed quam aequam, quam opportunam saepe, Poetis fecit, quidlibet audendi, fingendi, fabulandique, ansam atque potestatem! Vnum in praefenti adpellamus OVIDIVM. Omnis eius Metamorphosis his cauissimis aequi- uocis, suos fere natales debet; nec aliae quam plurimae, lepidissimae, eius fabulae, nisi ex hac nostra fabula, ortae sunt. Venerem, Deam, ex spuma maris natam, quis non recordatur! Commode Phaoni suo Sappho, voto nihil proficiente, hunc ortum in mentem reuocat<sup>q)</sup>:

*Solue ratem: Venus, orta mari, mare praefet eunti!*  
quem nataleni Deae locum deinceps fastis etiam suis inscripsit<sup>r)</sup>:

*Sed Veneris mensem, Graio sermone notatum,*

*Auguror: a spumis est Dea dista maris.*

Quem ad modum vero in Chersoneso pesciculis, sic in fauibus Graeciae fungis, quondam pluisse memorat<sup>s)</sup>:

*Tundem vipereis Ephyren Pirenida peninis*

*Contigit: hic aevo veteres mortalia primo*

*Corpora vulgarunt, phuialisbus edita fungis.*

Sed nulla omnium fabularum ad similitudinem nostrae tam prope accedit, tam pulchre efficta est, quam humo natus, effictusque a Prometheo, primus mortalium<sup>t)</sup>:

*Sanctius his animal, mentisque capacious altae*

*Deerat adhuc, et quod dominari in caetera posset.*

*Natus homo est, sine hunc diuino semine fecit,*

*Ille opifex rerum, mundi melioris origo;*

*Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto*

*Aethere, cognati retinebat semina coeli;*

Quam

q) Epp. XV. 213. r) Fastor. IV. 61. Auguratur sc. ex HESIODO, D.G. 195.  
s) Metam. VII. 391. t) Metam. I. 76.



Quam satus Iapeto, miseri fluuialibus vndis,  
 Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.  
 Pronaque quum spectent animalia caetera terram;  
 Os homini sublime dedit, coelumque tueri  
 Iussit, et erexit ad sidera tollere vultus.  
 Sic, modo quae fuerat rufis, et sine imagine, tellus,  
 Induit ignotas hominum conuerfa figuras.

Ex bene multis, eadem elegancia contextis, parique iucunditate  
 conditis veluti, in primis Fabulae illae, de Deucalione, de  
 Cadmo, deque Iasone, ex lapidibus seu ossibus magnae paren-  
 tis, telluris, ex viperinis serpentinisque satis dentibus, nouam  
 hominum progeniem, populi incrementa futuri, miraculo  
 stupendo suscipientibus, sane dignae essent, quae ad locum no-  
 strum ornandum illustrandumque, adhuc apponenterunt: sed  
 fabulas has omnes, omnemque nostrum, piscium absque  
 nuptiis pulchre fabularem, ortum, abortumque, cum caassis suis  
 aequiuocis, paullisper dimittamus atque ad res serias facienda-  
 que veniamus.

Eiusmodi res sobrias ac seueras proponit nobis Dissertatio  
 Inauguralis, in praesenti a nobis indicanda, et L. B. laudanda  
 ac commendanda, quam defendenda in se suscepit,

Vir nobilissimus atque doctissimus,  
**MICHAELIS TRAVGOTT GRAEFIVS,**  
*Medicinae Candidatus Dignissimus.*

Quis vero ille et qualis sit, quasque studiorum rationes sit se-  
 quatus, ipse suis Tibi, L. B. verbis enarret, aequum iustum  
 que est:

**E**go, Michael Traugott Graefie, natus sum Budissae, Superioris  
 Lusatiae urbe celebri, anno huius seculi XLVI. die ii. Aprilis, honestis  
 piisque parentibus, nimirum patre, Godofredo Graefio, solerti op-  
 fice,

fice, quo tamen primis aetatis diebus orbatus sum, et matre, Maria Iuliana, nata Schochia, quae post obitum patris mei per undecim annos in viduitate vixit; durante hoc tempore opificium per Ioannem Samuelem Rosbachium continuauit; tandem ad vota secunda transit et cum eo nuptias celebravit. Sub eorum cura religionis et literarum fundamenta partim in scholis urbis patriae, partim sub instructione B. Graefii, eiusdem loci Catechetae; ieci, praeterea fidei institutione domestica B. Langneri ac Fabri usus sum. Post haec in disciplinam chirurgi, Scheurlini, ad oppidulum Moenobernheimiam, in Marchionatu Onoldino prope Kitzingam, situm, datus sum. Sed amore literarum incensus, sedulo his per tres annos operam nauavi, meque ad altiora, ducibus Stadlero ac Schochio, Avunculo meo, rite praeparavi. Hinc anno LXVI. Giesfam me contul, praelectiones medicas et chirurgicas frequentatus; et anno LXVIII. mense Iulio, a Rectore Magnifico, B. Ioanne Stephano Müllero, ciuibus academicis adscriptus sum; a quo tempore arti sanitarii addiscenda totum me tradidi. Itaque Exper: Nebelii praelectiones Anatomicas, Physiologicas, Chirurgicas frequentare incepi, eundemque in Pharmacia, materia medica et dissecandis cadaveribus ducem fidelissimum expertus sum. Philosophiae viuiversae elementa ab Illustr. Boehmero accepi. In arte Obstetricia, Anatome, Pathologia ac Medicina Forensi, Doctorem habui peritisimum Alefeldium. Ab Illustr. Baumero in Physiologia, Chirurgia, Chemia, Geographia subterranea, doctissime fidelissimeque instructus sum; eiusque Tractationem de mortis venereis audii. Celeberrimus ac Illustr. Cartheuserus mihi Physicam, experimentis illustratam, Materia medica, Therapiam, Artes praescribendi formulas, et Collegium praeicum pari ratione exposuit. Botanicam etiam rem excolui, praeceunte Clarissimo Cartheusero, eius in excursionibus Botanicas comes. Sed propter rem angustam reliqua anno LXIX. Academia ad cognatos meos in Franconia me recipere coactus sum; paulo post Seckbergam prope Gorlicium me contuli, atque ad hoc usque tempus, Illustrissimum atque Excellentissimum. Ioannem Georgium Fridericum ab Einsiedel, Sacr. Rom Imper. Comitem, Dominum ac Maecenatem Indulgentissimum exerior. In eo nunc constitutus, ut, praefitit praestandis omnibus, ad Summos in Arte Salutari Honores modeste adpirare mihi licet, L. B. decenter rogo, ut huic meo instituto benigne faueat.

b 3

Atque



Atque huic Solemnitati Medicae ab Ordine nostro Medico  
dies XXV. Iulii, dictus est, quo voti sui compos reddetur  
Candidatus noster, habita ante Praefide, Excellentissimo D. Ge-  
orgio Rudolpho Boehmero, Anatom. et Botan. P. P. O. Collega  
ac Fautore nostro honoratissimo, Disputatione Inaugurali, de  
Spermatoologiae vegetabilis Part. I. de seminum existentia et usu.  
loco scilicet, horisque, ante et post meridiem, consuetis. Vos,  
igitur, Rector Academiae Magnifice, Patres Conscripti, utriusque  
Rei publicae Proceri Grauissimi, Generosissimi ac Nobilissimi Ciues  
ac Comitiliones, Vos singulos, Fautores et Amicos nostros,  
qua decet obseruantia atque humanitate rogamus, vt frequen-  
tes ac benigni adesse nobis, et Panegyri nostram, auctoritate,  
gloria et virtute, Vestra splendidiorem reddere haud graua-  
tim velitis.

P. P. Dom. VIII. p. F. Trin. A. S. R. CICIOCCCLXXVII.

VITEMBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIE  
ACADEMIAE A TYPIS



copia

84

**ULB Halle**  
002 265 427

3



(f) 56.





B.I.G.

FarbKarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
  
Inches  
Centimetres

FACVLTATIS MEDICAE

IN ACADEMIA WITTENBERGENSI

SENIOR ET H. T. DECANVS

GEORGIVS AVGVSTVS  
LANGGVTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. XXV. IVLII CICICCLXXVII

H. L. Q. C

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

DE

ORTV PISCIVM ABSQVE NVPTIIS

PVLCHRE FABVLARI

COMMENTATIONE PRIORE

